



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *SCOPIENSIS*

(*SCOPIENSIS-PRISRIANENSIS*) * DIOECESIS SCOPIENSIS, QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS,
NOMINE «SCOPIENSIS-PRISRIANENSIS» APPELLATUR ET SUFFRAGANEA

«AD INSTAR ET AD TEMPUS»

SEDIS METROPOLITANAE VRHBOSNENSIS

SEU SERAJENSIS CONSTITUITUR. Ad Ecclesiam Christi in dies augendam nemo non videt quantum conferant apta rerum religiosarum dispositio finiumque dioecesium idonea temperatio. Quam ob rem cum Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando censuerit bene fieri si quaedam immutationes in territoriis, nomine aliisque rebus dioecesis Scopiensis inducerentur, Nos re bene reputata, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. Seiunctam partem territorii dioecesis Scopiensis, quae in Republica civili Montis Nigri sita est, archidioecesi Antibarensi annectimus, eandemque dioecesim Scopiensem, cui Sedem titulo Prisrianensem pleno iure unimus, nomine *Scopiensem-Prisrianensem* in posterum appellari volumus et suffraganeam ad instar et ad tempus Sedis Metropolitanae Vrhbosnensis seu Serajensis constituimus necnon Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iurisdictioni obnoxiam confirmamus. Ecclesiam autem Beatae Mariae Virginis sub titulo Auxilii Christianorum, in urbe Prisrianensi, ad dignitatem et honorem concathedralis Ecclesiae tollimus. Ceterum, quae per has Litteras mandavimus exsequenda curabit venerabilis Frater Marius Cagna, Archiepiscopus titulo Heracleensis in Europa et Apostolicus in Iugoslavia Delegatus, vel per se ipse vel per alium, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Christiano Nomini Propagando cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae apud S. Petrum, die altero mensis octobris, anno*

Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri septimo.

ALOISIUS Card. TRAGLIA

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. R. E. Cancellarius

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXII (1970), n. 4, pp. 202-203 © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana